

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0846

0844

0850

0840

0855

0835

0895

0795

0945

0745

0345

Ende

Anfang

273

auxilio divino invocato gladiis instantes illos in fugam ver-
tunt, quos nostri insecuri magna ac horribili caede proster-
nunt, adeo, ut de eis septem millia absque captivis, qui fue-
runt infiniti, ea die occidisse referantur. Insuper aliam stragem
grandem nostri intulere infidelibus in mari; classem etiam
Aegyptiorum fugientem audita caede suorum nostri insecuri
eam repererunt, et tanta in eo proelio caedes facta est, ut
fide carere videatur: nam mare adjacens de precipitatis cor-
poribus ad duo millaria in circuitu colore sanguineum con-
traxisse dicitur.

Post haec, dum adhuc rex in captivitate esset, ceperunt
nostri inexpugnabilem urbem Tyrum, maximo in ea fuso
sanguine Sarracenorum. Est autem Tyrus civitas antiquissima,
cui Severus Romanorum imperator ob egregiam in rempublicam
Romanorum fidem jus Italicum dedit, quod Romani prin-
cipes non nisi paucissimis et bene meritis concedebant. Quanta
autem huius civitatis antiquissimis temporibus gloria fuerit,
non solum gentiles scriptores, verum etiam sacra prophetarum
oracula perhibent testimonium, ut patet Esaiae c. 23., Ezech.
26. et 27.

Ex hac civitate fuit Sichaeus et ejus uxor Dido, quae
mirabilem civitatem Carthaginem aedificavit. In hoc regnavit
Hiram, Salomonis cooperator in templi aedificatione. Capta
autem Tyro rex Jerusalem pretio redemptus est et Jerosoly-
mam rediit ac Christianorum rempublicam jam labentem red-
integravit Antiochiamque Jerosolymitanu (276 A) regno
adjunxit, Ascalonitarum regem Jerosolymitanos infestantem
unico repulit proelio et Balduinum, Damasci regulum, idem
molientem tribus proeliis fudit, multis passim pecudis more
caesis. Post haec dedit Deus quietem regi, nec ausus fuit
quisquam ei resistere; pace ergo habita ad augmentandum
divinum cultum processit, monachos et religiosos diversorum
ordinum de partibus Christianorum advocavit et multa mona-
steria tam pro viris quam pro foeminis instituit et in Tyro
universitatem vel generale studium ordinavit, ad quod multi
scholares de transmarinis partibus transierunt. Sub eo tres
religiones inchoatae sunt in sancta civitate Jerusalem. Prima
fuit Hospitaliariorum, quamvis etiam ante recuperationem terrae